

# Area F 2003 Sight Recitation Level 3

Apuleius, *Metamorphoses* (*The Golden Ass*) XI.6

Plānē memineris et penitā mente conditum semper tenēbis  
mihi reliqua vītāe tuae curricula adusque terminōs ultimī  
spīritūs vadāta. Nec iniūrium, cuius beneficiō redieris ad  
hominēs, eī tōtum dēbere, quod vivēs. Vivēs autem beātus, vivēs  
in meā tūtēlā glōriōsus, et cum spatium saeculī tuī permensus  
ad inferōs dēmeāris, ibi quoque in ipsō subterrāneō sēmirotundō  
mē, quam vidēs, Acherontis tenebrīs interlucentem Stygiīsque  
penetrālibus regnantem, campōs Elysiōs incolens ipse, tibi  
propitiā frequens adōrābis. Quodsi sēdulīs obsequiīs et  
religiōsīs ministeriīs et tenācibus castimōniīs nūmen nostrum  
prōmerueris, sciēs ultrā statūta fātō tuō spatia vītāe quoque  
tibi prōrogāre mihi tantum licēre.